



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De  
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDXXXIV.**

**VD18 90392167**

Articulus I. De Potestate requisita in Ministro Pœnitentiæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41032**

xima, peccata autem remota: unde absolutio  
cadet super novam materiam proximam.

## CAPUT III.

De Ministro Sacramenti  
Pœnitentiæ.

## ARTICULUS PRIMUS.

*De Potestate requisita in Ministro  
Pœnitentiæ.*

Q. i. **A**N requiritur jurisdictio ad absolvendum?

Not. i. Jurisdictio generatim est potestas gubernandi, vel ferendi sententiam in subditos: hinc sumitur pro potestate ferendi sententiam Sacramentalem circa Pœnitentem Confessum. Duplex est ordinaria, & delegata. Ordinaria est ea, quæ alicui competit ratione officii habentis annexam curam animarum, qualem habet Papa in omnes fideles, Episcopi in suos Diœcesanos, Parochi in suos Parochianos, Superiores Religiosorum in suos subditos.

Delegata est ea, quæ committitur Sacerdoti ab eo, qui habet ordinariam. Et acquiritur per expressam, vel tacitam confessionem; nam delegatio est unus ex actibus Jurisdictionis

Tom. I. l.

Cc

ordi-

ordinaria. Ad consensum autem tacitum requiritur scientia ejus quod agitur: unde non est tacita concessio sine notitia Prælati.

*Not. 2.* Jurisdictio delegata non expirat per delegantis mortem, aut demissionem, si sine ulla temporis limitatione ab illo data fuit, nec revocata ab eo, vel illius successore aut superiore: nam delegatio est gratia facta Confessario, cui statim acquiritur: at gratia facta non expirat per mortem concedentis; nam gratia, seu beneficium Superioris debet esse mansurum. *Reg. Jur. 16. in 6.*

*Not. 3.* Qui habet potestatem delegatam non potest eam subdelegare, nisi hoc ei specialiter concessum sit: quo casu, non suo sed delegantis nomine censetur subdelegare: quia delegatus eam solam potestatem habet, quæ ei conceditur: at conceditur ei solum quoad suam personam potestas exercendi jurisdictionem, non item alteri committendi, nisi aliud exprimatur; nam hæc duæ facultates diversæ sunt & distinctæ.

*Resp.* Ad absolvendum, præter potestatem Sacerdotalem, requiritur jurisdictio. Constat ex Trid. sess. 14. c. 7. Quoniam igitur natura & ratio iudicii illud exposcit, ut sententia in subditos duntaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem.

Ratio

Ratio est, quia absolutio est sententia iudicialia, ad cuius valorem requiritur iurisdictio in eo, qui iudicat, & subiectio in eo qui iudicatur.

*Q. 2. An aliquando Ecclesia supplet defectum iurisditionis in Sacerdote?*

*Resp. Aff.* Modo hæc duò simul adsint. 1. Titulus coloratus, hoc est, titulus habens speciem veri tituli, cum tamen reipsa nullus sit: qualis est collatio Beneficii Parochialis, sed invalida propter occultum aliquem defectum, v.g. propter occultam simoniam. 2. Error communis, ita ut communiter, ac publice quis existimetur verum habere titulum & iurisditionem: si enim ex errore unius aut alterius tantum putaretur Sacerdos habere iurisditionem, quam non habet, invalida esset absolutio: quia tunc non est sufficiens ratio, ob quam Ecclesia censeatur conferre iurisditionem; cum hoc non sit necessarium ob bonum commune, quod non exigit, ut Ecclesia prospiciat quibusvis casibus privata singularum ignorantia.

Ecclesia autem supplet illum occultum defectum, concedendo extraordinarie Sacerdoti iurisditionem transeunter pro singulis actibus; eò quòd bonum commune id exigit ad impedienda multa gravia damna, ac scandala, quæ ex invaliditate actuum orientur.

Argumento ex *L. Barbarius, ff. de Offic. Prætor.*

C c 2

Talis

Talis tamen Minister peccat graviter, quia usurpat jurisdictionem, quàm scit se antecedenter non habere, & hoc est ei graviter prohibitum.

*Q. 3. An præter potestatem Ordinis & jurisdictionis requiritur approbatio in Confessario tam regulari quàm seculari non habente Beneficium, cui animarum cura sit annexa?*

*Resp. Aff. Nam ita statuit Trid. sess. 23. c. 15. Quamvis Presbyteri in sua Ordinatione à peccatis absolvendi potestatem accipiant: decernit tamen S. Synodus nullum etiam Regularem, posse Confessiones secularium, etiam Sacerdotum, audire nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale Beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat: privilegiis & consuetudine quacumque etiam immemorabili, non obstantibus.*

*Circà quòd Decretum observanda sunt sequentia.*

*1. Approbatio est consensus & facultas Episcopi, ut Confessarii munus exercent is, quem ad id idoneum judicat. Sensus autem Decreti Trid. est, quod sine illâ approbatione nullus possit non solum licitè, sed etiam validè audire Confessiones, ut expressè declaravit S. Congregatio Cardinalium, & constat ex scopo Concilii, & sensu ac praxi Ecclesiæ. Porro Eccle-*

Ecclesia id potuit statuere, quia cum jurisdictione ad valorem absolutionis necessaria tribuatur ab Ecclesiâ, potuit illa hanc conditionem apponere ut necessariam ad jurisdictionem accipiendam, & valide exercendam: ita ut sine approbatione Sacerdos non curatus sit incapax jurisdictionis recipiendæ vel exercendæ, adeoque absolvendi validè.

2. Hoc habet vim etiam in Gallia, ubi Trident. non fuit promulgatum: nam hæc propositio: *Conc. Trident. non obligat. Regulares in Gallia ad obtinendas approbationes ab Episcopis, ut secularium Confessiones audire possint, neque ex illius Concilii authoritate privilegia regularium restringi possunt, cum id in Gallia receptum non sit, præterquam in decisionibus fidei,* ab Alex. VII. anno 1659. damnata fuit ut falsa, temeraria, scandalosa, in hæresim & Schisma inducens, S. Conc. Trid. & Sedi Apostolicæ injuriosa. Idem declaravit Clemens X. *Constit. Superna.*

3. Non sufficit approbatio petita, & injustè denegata: quia Trident. requirit ut obtineatur, & injusta recusatio approbationis non est approbatio. Nec iam amplius valent privilegia in contrarium allegata, cum Trident. & Summi Pontifices derogaverint privilegiis quibuscumque huic Decreto contrariis. Hinc Alex. VII. damnavit hanc propos. *Satisfacit præcepto Confessionis annuæ, qui confitetur Regulari Episcopo presentato, sed ab eo injustè reproba-*

to. Et istam: qui Beneficium Curatum habent; possunt sibi eligere Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

4. Decretum Tridentini restringitur ad Confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum, non religiosorum. Quare ad audiendas Confessiones Religiosorum non requiritur Episcopi approbatio; sed illi possunt confiteri iisdem, quibus antè Trident. per sua statuta, vel jus commune poterant; cum Trident. circa illos nihil innovet. Nunc tamen ad audiendas Confessiones Monialium, etiam Regularibus subjectarum, requiritur Episcopi Diocesani approbatio ex Constit. Greg. XV. Inscrutabili. & Constit. 7. Clement. X. Porro Religiosi unius Ordinis non possunt audire Confessiones Religiosorum alterius ordinis sine facultate Superiorum ipsius Pœnitentis; quia Papa concessione suâ generali jurisdictionis in omnes fideles non intendit derogare statutis religionum, ex quibus varii religiosi non possunt confiteri, nisi Confessariis à suis Superioribus designatis. Quare Religiosi à domo sua absentes intelligant ex Superioribus suis vel ex statutis religionis suæ, vel ex recepta consuetudine quibusnam confiteri possint. Quòd si circa hoc nec Superior, nec Religio aliquid statuerit, censetur permittere, ut confiteantur cuilibet Sacerdoti approbato, si non habeant socium sui Ordinis Sacerdotem.

5. Requiritur approbatio Episcopi loci, in quo audiuntur Confessiones; ita ut approbatus in una Diœcesi, non possit in alia audire Confessiones sine approbatione Episcopi Diœcesani. Constat ex Ecclesiæ praxi, quæ est optima legum interpret; ex numero plurali, quo citatur Trident. ut significet in diversis Diœcesibus diversas requiri Episcoporum approbationes; ex Clemente X. Constit. *Superna*, & ex Alex. VII. qui oppositum damnavit anno 1659. Enimverò approbatio est actus auctoritatis, & jurisdictionis: at actus auctoritatis, & jurisdictionis non excedit spheram auctoritatis, & jurisdictionis, nec proinde limites Diœcesis.

6. Hoc Decretum non spectat habentes Beneficium annexam habens curam animarum: nam censetur approbari hoc ipso quod tale Beneficium eis confertur. Sed Parochus resignato suo Beneficio iam neminem valide absolvere potest sine approbatione: quia iam non habet Parochiale Beneficium.

Q 4. *An sufficit Jurisdictio, vel approbatio subratibatione futura, vel presumpta, seu interpretativa, cum nempe judicatur concedenda, si peteretur?*

Resp. Neg. Quia ex Trid. ad valorem absolutionis requiritur iurisdictio, & approbatio actu, & absolutè existens & iam obtenta, ad quam requiritur consensus actualis signo



aliquo externo declaratus. Et verò iurisdictio & approbatio requiruntur ad substantiam ac valorem absolutionis: at nulla res existit, nisi actu existant omnia quæ ad eius substantiam pertinent. Neque hîc valet ista reg. jur. in 6. *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium comparari.* Nam hæc regula solum habet locum in actibus, quorum valor in futurum suspendi potest: at valor absolutionis præsentis suspendi nequit; valor enim Sacramentorum pendere nequit ab actione de futuro.

*Q. 5. An sufficit iurisdictio & Approbatio probabilis tantum?*

*Resp.* Non sufficit ad licitè absolvendum, sed requiritur certa. Quia extra casum necessitatis non licet administrare Sacramentum cum opinione tantum probabili eorum, quæ ad eius valorem requirantur: alioqui Sacramentum periculo nullitatis sine necessitate exponeretur, quod est grave sacrilegium. Imò neque sufficit ad validè absolvendum, si iurisdictio vel approbatio reipsâ non existat; nam tunc deest aliquid ad valorem absolutionis requisitum. Nec tunc Ecclesia supplet hunc defectum, sed solum dum Titulus est coloratus, & error communis.

*Q. 6. An Confessor Regularis approbatus in unâ Diœcesi, potest absolvere in ea subditos alterius Diœcesis, pro qua non est approbatus?*

*Resp.*

*Resp.* Potest, etiam à casibus ibi reservatis, sed non reservatis in Diœcesi in quâ est approbatus; nisi eos noverit in fraudem reservationis ad alienam Diœcesim migrasse. Ita declaravit, Clement X. constit. *Superna* his verbis. *Posse autem Regularem Confessorem in eâ Diœcesi in quâ est approbatus, confluentes ex alia Diœcesi à peccatis in ipsâ reservatis, non autem illa, ubi idem Confessor est approbatus, absolvere, nisi eosdem pœnitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam Diœcesim, pro absolutione obtinenda, migrasse.* Idem dicunt de Sacerdote sæculari approbato ob tacitum Episcoporum consensum communi consuetudine confirmatum. Hinc mercatores, litigantes, milites, peregrinantes, &c. possunt absolvi à Confessariis loci ubi confitentur: nam hi jure communi, vel ex consuetudine tacite à Superioribus approbata, sunt veluti subditi Episcopi loci, in quo versantur, quantum ad Sacramenta, excepto Ordine. Quod si casus non sit reservatus in Diœcesi Pœnitentis, sed solum in Diœcesi Confessarii, hic non potest illum absolvere; nam per reservationem ei sublata est potestas absolvendi à tali peccato. Præterea Reus debet judicari, secundum leges & consuetudines loci, in quo judicatur. Idque totum constat etiam ex recepta consuetudine.

*Q. 7. An Parochus potest subditos audire, & absolvere in alia Diœcesi, in quâ non est approbatus?*

*Cc 5,*

*Resp.*

*Resp.* Ex communi sent. potest etiam licitè, modo id fiat absque scandalo: quia habet ordinariam in proprium subditum jurisdictionem, ab approbatione non pendentem: jurisdictione autem in foro pœnitentiæ, cum sit voluntaria, non contentiosa, nec requirat strepitum fori, exerceri potest extra proprium territorium.

**Q. 8.** *An Secularis vel Regularis approbatus generaliter in una Diœcesi potest valide absolvere in alia Diœcesi subditum Diœcesis, in qua est approbatus?*

*Resp. Neg.* Ita Clement X. constit. *Superna* ubi decernit: *Religiosos ab Episcopo ad Confessiones Sacularium in sua Diœcesi audiendas approbatos, non posse in alia Diœcesi eas absque Episcopi Diœcesani approbatione audire, quamvis pœnitentes subditi sint ejus Episcopi, à quo ipsi religiosi jam fuerant approbati.* Nam jurisdictione delegata pendet in sui exercitio ab approbatione Episcopi loci, in quo audiuntur Confessiones.

**Q. 9.** *An Parochus extra Parochiam suam potest valide absolvere subditos alterius Parochia, cum facultate proprii talium Parochi?*

*Resp.* Non potest sine licentia Episcopi expressâ, vel tacitâ; nam Parochus unius Parœciæ non fit Parochus subditorum alterius Parœciæ per delegationem proprii illorum Parochi; & Parochorum jurisdictione pendet ab Episco-

Episcopo, qui potest iis auferre potestatem delegandi eos, quos iudicat minus aptos audiendis quorumlibet Confessionibus. Licentia autem expressa est, cum scripto vel verbis conceditur: tacita verò, cum Episcopus non contradicit consuetudini, quam scit vigere circa auditionem ejusmodi Confessionum.

*Q. 10. An generaliter approbatus ad audiendas Confessiones Sæcularium, censetur approbatus pro audiendis Confessionibus Monialium, sive Ordinario sive Regularibus subjectarum, si non fuerint nominatim exceptæ?*

*Resp. Neg. Nam ita fert usus, & ita declaravit Clemens X. constit. Superna his verbis. Et generaliter approbatus ab Episcopo ad audiendas personarum Sæcularium Confessiones, nequaquam censi approbatus ad audiendas Confessiones Monialium sibi subjectarum, sed egere quoad hoc speciali Episcopi approbatione: atque approbatus pro audiendis Confessionibus Monialium unius Monasterii, minimè audire posse Confessiones Monialium alterius Monasterii. Itidem Confessores extraordinarios semel deputatos atque approbatos ab Episcopo ad Monialium Confessiones pro una vice audiendas, haud posse expleta deputatione in vim approbationis hujusmodi illarum Confessiones audire, sed toties ab Episcopo esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit.*

*Q. 11.*

Q. 11. *An Regulares egent approbatione Ordinarii ad audiendas Confessiones suorum famulorum secularium?*

Resp. Clemens X. constit. cit. declaravit: *In Monasteriis ac etiam Collegiis, ubi juxta instituta regularia vivitur, posse tam Praelatos Regulares, quam Confessores Regularium eorumdem Monasteriorum seu Collegiorum, audire Confessiones illorum Secularium, qui inibi sunt de familia, & continui commensales; non autem illorum, qui tantum ipsis deserviunt.*

Q. 12. *An approbatio semel data, etiam sine limitatione temporis, validè revocari potest etiam sine justa causa?*

Resp. Aff. Nam nullo jure talis revocatio irritatur. Quòd si ad tempus limitatum data fuit approbatio, cessat statim per se exacto termino: nam approbatio durare nequit ultra tempus praescriptum ab eo, à cujus voluntate pendet: hinc novâ opus est.

Q. 13. *An Episcopus potest validè limitare approbationem, quoad tempus, locum & personas?*

Resp. Aff. Constat 1. Ex praxi quotidiana.  
2. Oppositum damnavit, Alex. VII. an. 1659.  
3. Quia habens approbationem etsi injustè restrictam ad tempus, locum, vel personas, revera caret approbatione pro alio tempore, loco, & pro aliis personis: unde non potest validè.

lidè absolvere in tali loco, tempore, & tales personas, pro quibus non est approbatus. At sine approbatione actu existente invalida est absolutio.

Q. 14. *An Sacerdos non approbatus potest absolvere à venialibus?*

Resp. Non potest saltem licitè ex decreto, Innocentii. XI. Edito an. 1679. *Non permittant (Episcopi) ut venialium Confessio fiat simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Si Confessarii etiam Regulares, aut quicumque alii secus egerint, sciant Deo Opt. Max. rationem reddituros esse neque, de futuram Episcoporum & Ordinariorum justam & rigorosam animadversionem in contrafacientes, etiam Regulares, etiam Societatis Jesu. Imò neque etiam validè posse videtur; quia Sacerdos vi ordinationis non habet jurisdictionem, neque subditos etiam solum venialium reos. Nemo autem potest absolvere à peccatis sine jurisdictione ordinaria, vel delegata ex Trid. sess. 14. c. 7. cum absolutio sit actus judicialis, qui non potest exerceri, nisi in subditos; & jurisdictio delegata validè exerceri nequit sine approbatione.*

## ARTICULUS II.

### *De Casibus Reservatis.*

Casuum seu peccatorum reservatio est subtractio potestatis absolvendi à certis peccatis,